Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26052
Copyright: Admont, Benediktinerstift

post pascha in conspectu egyptiorum. ramesse interpretari
quidam commotionem uel tonitruum putauerunt. utique quia
commoti fuerimus ad euangelicam tubam. excitauit tonitrui
gaudio eximus in mense primo. quando hiemps preterit. quando
ueris exordium est. quando cuncta renouantur. Eximus quin
ta decima die mensis primi in crastinum pasche pleno mensis
lumine post esum agni inmaculati. et calciatos pedes de apto
et accinctos lumbos de pudicicia. et baculos in manibus prepara
tos. Secunda mansio est sochot in qua coquunt panes azimos
et primum tendunt tabernacula. unde et locus nomen accepit. So
chot quippe in tabernacula interpretatur siue tentoria. Cum
ergo exierimus ex egypto idem a secto primum tabernacula figimus.
facientes nobis ad interiora pergendum. et ad sanctam terram celeste iter
ad celebrandum. Tercia mansio est ethen que est in extremo soli
tudinis. in qua primum uidetur dominus precedens populum in colum
na ignis (ethan) sane fortitudo siue perfectio. Preparemus ergo nobis for
titudinem adsumentes perfectum robur ut inter errorum tenebras
et confusionum noctis scientie christi lumen appareat. Dies quoque in
nubem habeat protegentem. ut his ducibus ad terram repromissio
nis peruenire ualeamus. Quarta mansio est figairoth que est contra
beelsefon. figairoth interpretatur os nobilium proinde assumpta for
titudine nobilitatem a domino. contempnentes beelsefon quod inter
pretatur dominus aquilonis et superbiam declinemus. ab hac mansione
profecti filii israel transierunt per medium mare in deserto. uiderunt
pharaonem cum suo exercitu pereuntem maria precinentem in tym
panis. Quinta mansio est mara ad quam uenerunt filii israel.